

iste. Verumtamen non sicut
ego volo. Sed sic cuius. venit
ad discipulos et invenit
eos dormientes. Et dicit

M C P R S

una vestra vigilare meum
Vigilate et orate ut non
intretis in temptationem.
Spiritus quidem promptus est
sed caro vestra infirma. Surrexit
secundum abijt et oravit dicens
Pater mihi prout hic calix transire
in me bibere nullum fiat volun-
tas tua. Venit iterum et in-
venit eos dormientes et dicit

I 6 I 4

lectus illis iterum abijt tertio
et oravit eundem sermonem dicens
Tunc venit ad discipulos suos
et dicit eis Dormite facti
et inquietate. cum dormisset.


...nam
...gentur
...quam
...vos
...aut
...omnis
...ego
...dicit
...dicit
...quod
...negra
...Erat
...ten
...et os
...ne
...illa
...et
...sedete
...et o
...et du
...omni



Arena Hutteri

60 B

- Disputatio inauguralis de Fide significante Meisneri.
Disputatio de Calvinismo fugiendo Meisneri
De Vera Veritate Christi Duput. Bald.
Disput. Antiphoniarum de Loyt, de Pauato Reigtonbachii
Disputatio Ansthe. de duobus N. T. sacramentis Wilhelmii.
Disput. de officio Christi Franzi
Disput. de sacramentis N. T. Franzi
Disput. de Passione Ihu Dei Garbii
Harmonia Calvi. et Photin. Lyseri.
Disput. de Sacramento Eucharistiae forma et essentia
P. Lyseri
Rursus de Epistola Genealogica Iulii Calvini



181





Assertiones Theologicae,
DE RE SACRA-
MENTI EVCHARISTI-
CI TERRENA ET
COELESTI,

Quas
Christo autore ducente & docente,
In illustri Lipsensi Academia ex-
cutiendas proponit,

POLYCARPUS LYSERUS
SS. THEOL. D. & PP.


Ad 19. Augusti, horis ante & pomeridianis.



L I P S I Æ,

T Y P I S L A M B E R G I A N I S,

Excudebat Johann Glück.



Amplissimo & Consultissimo VIRO

DN. LEONHARTO COPPELIO,
I. U. DOCTORI EXIMIO, SAXONIÆ
Electori à consiliis Appellationum, & supremi Consisto-
rij Ecclesiastici Assessori dignissimo, &c. Domino fautori
& affini suo plurimum honorando,
Gratiam & Pacem à CHRISTO JESU.



Heologicas hasce theses, Amplissime & Con-
ultissime Vir, Domine fautor & affinis plurimum honorande,
quòd T. Ampl. nomini honoratissimo inscribo, ejus causas ut
aperiam, minimè opus esse censeo, cum & T. Ampl. mihi & aliis
satis antehac notæ sint, & grati animi indicium pro more nul-
latenus vituperando, certissimum esse debeant. Hoc solum adjicere placet,
disputationem hanc eam pertractare materiam, quæ ipsis Calvinianis atte-
stantibus in Colloquio Marpurgi, Anno Christi 1529 habito, sola controver-
sa relicta fuit. Quæ cum initium reliquarum controversiarum omnium
fuerit, haud immeritò (cum malum hoc Sacramentarium latissimè serpere,
& multas Ecclesias depascere hodiè non sine summa animi perturbatione vi-
deamus) sæpiùs sub incudem disputationis, revocatur, & Calvinianis eo
ipso in fundamentalibus impingere ostenditur, quod hætenus strenuè nega-
runt, & contrarium fucatis suis scriptis toti orbi Christiano persuadere vo-
luerunt. Nemo enim inficias ire poterit, Verbum DEI & Sacramenta inter
fundamentalia doctrinæ Christianæ capita meritò referri, quippe quæ orga-
na & media ordinaria, eaq; sola sunt, quibus fides accenditur, justitia offer-
tur, via salutem consequendi ostenditur, imò salus ipsa confertur. Qui ergò
substantialem Sacramenti partem impugnat, & Diabolicis sarcasms directè
sciens & volens excipit, annon ille in fundamentalibus doctrinæ Christianæ
capitibus errare dicendus erit? Id quod an hodiè à Calvinianis fiat, imò à
primo certaminis initio usq; ad hæc tempora factum sit, ejus, qui sine præjudi-
cio scripta illorum perlustravit, judicio libenter submitto, in hac tamen ipsa
disputatione ad sufficientiam id quoq; ostensum esse certò scio. Quam cum
Disputationem esse voluerim, non còmentarium, ut hodiè quidem aliquibus,
sed perperam, in more positum esse videmus, angustis cancellis theses & anti-
theses cum probationibus præcipuis inclusi, & doctrinam de materia Sacra-
menti Eucharistici, aliàs prolixam, brevibus proposui. Quod sanæ doctrinæ de-
positum Deus Opt. Max. in nostris Ecclesiis factum rectum diutissimè conser-
vare, & alios miserè errantes in viâ reducere velit, devotè precor; Cujus etiam
divinæ gratiæ T. Ampl. etiam atq; etiam còmendo. Lipsiæ 1. August. Año 1614.


T. Amplit. studiosiss.

POLYCARPVS LYSERVS D.



THEMATA,
De Re Sacramenti Eucharistici, Terrena
& Cœlesti, Earum Unione & Prædicatione.

THESIS I.



*Olendum & deplorandum est, id quod
mutua conjunctionis & caritatis fraternæ o-
mnibus Ecclesiæ membris exhibenda incita-
mentum esse debebat, infelicis Syrraxeos, a-
cerrimæ contentionis & extremi odij occasio-
nem factum esse.*

II.

*Si enim, dicente Hilario, Hac (Panis & Corpus, Vinum &
Sanguis in Sacramento Cœnæ fideliter) sumta & hausta faciunt,
ut & nos in Christo & Christus in nobis sit, adeoq; arctissime
Christo capiti jungamur, necessario simul membris quoq; illius,
hoc est, toti corpori Ecclesiæ nos uniri oportet; Multi enim su-
mus, ait Paulus 1. Corinth 10, 17, sed tamen unum corpus, quia
de uno S. Sancta Cœnæ pane omnes participamus.*

III.

*Est itaq; fidelis cœnæ manducatio, de fraternæ caritate con-
cio; neq; enim membrum unum alterum odio prosequi debet, sed
DEUS ita temperavit corpus, ut ne sit dissidium in corpore, sed
membra idem curent alia pro aliis 1. Corinth 12, 24.*

IV.

*Verum, proh dolor! amoris hoc vinculum, dissensionis initium
ac materies inter Lutheranos cum primis & Calvinianos fuit;
Cui enim ignotum esse potest, primam & primariam secessionis
Ecclesiarum Helveticarum à B. Lutheri doctrina causam fuisse,
quod in doctrina de Sacrosancta Cœnæ Domini, & quidem in*

substantialibus ejus definiendis dissentirent, qua de re Colloquium Marpurgense nos prolixè edocet.

V.

Quia ergò id initium mali fuit, quod unionis fraternae causa esse debuit, sapius volvendum & revolvendum est, ut veritas astruatur, Error evertatur, Syrraxis tollatur, & jucunda membrorum Ecclesiae unio, Pax & Concordia restituatur. Quem in finem & nos materiam hanc sub disputationis incudem revocabimus, de controversia Sacramentaria, adjuvante DEO, placide sermones conferemus, & quam periculosè plurimi hìc aberrent, breviter, (quod natura thesium exigit,) ostendemus.

VI.

Non autem totam hanc pertractare materiam, nimis enim id prolixum foret, sed qua in Materia Sacrosancta hujus Coena descriptione occurrunt, enodare constituimus: eaq; omnia ad Tria revocabimus capita, dicturi 1. de Materialibus partibus. 2. de Unionem earundem. 3. de Pradicatione ex Unionem resultante.

PRIMUM CAPUT.

VII.

AVgustini celebrata in Ecclesia haec sunt verba: Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, Sacramentum hoc duobus confici, duobus constare, visibili Elementorum specie, & indivisibili Domini nostri IESU CHRISTI carne & sanguine, Sacramento, & re Sacramenti, id est, corpore Christi: Sicut & Christi persona constat & conficitur ex DEO & homine, cum Christus sit verus DEUS & verus homo, quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur. In Sentent. Prosp. & apud Lombardum lib. 4. Sent. distin. 10. lit. b. & de consecrat. Dist. 2.

VIII.

Partes has duas materiae essentiales Christus in institutione nominatim expressit. Panem enim accepisse & Vinum sumxisse dicitur,

dicitur, & Pane Vinoq; porrecto corpus & sanguinem suum di-
stribuisse legitur.

X.

Figmentum ergò in Ecclesia inauditum est; Sacramentum
Eucharistia unâ tantum constare parte, visibili nimirum Ele-
mentorum specie, Panis & Vini. Aliter enim Christus docuit, di-
cens; Hoc est Corpus meum: aliter Paulus tradidit, asserens Pa-
nem fractum esse $\kappa\omicron\upsilon\omega\nu\iota\alpha\varsigma$ corporis Christi: aliter pia vetustas
locuta est; Irenæus lib. 4. c. 34. Eucharistia duabus rebus constat,
terrenâ & cœlesti.

X.

Et D. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis c. 4. scribit: Sacrifi-
cium Ecclesia ex duabus rebus constat, alterâ visibili, alterâ in-
visibili. Pars ergò una terrena est & elementaris, altera cœlestis
est; illa nobis visitur, hac creditur, esse scilicet creditur, non fide
accipitur, ut perperam Calviniani explicant.

XI.

Et testatur Theodoretus Dialog. 3. ex Epist. Ignatij, Hære-
ticos à veteribus dictos eos, qui negant Eucharistiam esse car-
nem Salvatoris nostri Jesu Christi, eosq; propter hanc causam ex
Ecclesia ejectos fuisse.

XII.

Ut verò de distinctis distinctè agamus, quod Rem Terrenam
attinet, duplici Christus usus est, Esculenta unâ, Potulenta al-
terâ: in quarum delectu illud Augustini Epist. 23. ad Bonifacium,
quasi observatum deprehenditur: Nisi Sacramenta similitudi-
nem quandam haberent earum rerum, quarum sunt Sacramen-
ta, omninò Sacramenta non essent. Quicquid enim eximij de hoc
mysterio dicitur, ejus in natura proprietatibus & effectis Panis
& Vini similitudo quadam habetur.

XIII.

Res Esculenta Panis dicitur, simpliciter & nudè, non qua-
litas aut forma exprimitur, verus tamen & naturalis, non ana-
logicus, Panis nimirum ex farina frumentacea pistus.

XIV.

Hic bellum *Adiaphoristicum* à Pontificiis pariter & Calvinianis movetur. Intercessit enim quondam Latina cum Græca Ecclesia acris controversia de qualitate Panis in Eucharistia adhibendi; illa pro Azymi, hac pro fermentati panis necessitate depugnante; illa exemplo Christi id confirmare voluit, Hæc idem exemplum retorsit; Si enim Christus ad Cœnam hanc eo, quæ tum usitatus erat, pane usus est, idem nobis quoq; faciendum, id est, communem usum assumendum præcepit.

XV.

A parte Græca Ecclesia stant hodiè Calviniani, & nos, qui pane azymo utimur, tum Judaismi tum Papisimi accusant, Beza in *Quest. & Respons. quest. 243.*

XVI.

Utriusq; partis sententia vitiosa, cum institutionis fundamento careat, qua genus ponit, Panem, qualitatem, qua varia esse potest, non exprimit, ne in ea necessitatis momentum situm esse putaretur. Equidem temporis circumstantia evincit, Christum Pane azymo usum fuisse, neq; enim licitum erat, quicquam fermenti tempore Paschali in adibus retinere, Exod. 12, 15. genus tamen, non speciem, in institutione exprimere voluit, ut his otiosis concertationibus occurreret.

XVII.

Nos Latina Ecclesia morem retinemus, & Pane azymo utimur, sed fermentum Necessitatis expurgamus, & qualitatis liberam observationem statuimus. Quod naxum quidem Beza appellat, non tamen, ut de summa rerum, hic contendendum esse monet, hoc est, sibi ipsi contradicit.

XVIII.

Ejusdem momenti est, quod quidam formam rotundam allatrant & simias Papisolarum nos esse garriunt: Quasi verò non ipso Papatu hæc forma antiquior sit, & substantia panis nihil derogetur, sive rotundus sive oblongus sit.

19. Hoc

XIX.

Hoc autem nimium esse videtur, quod nostrum Panem non Panem sed spumam Panis, quia non crassus satisq; magnus ipsis videtur, appellare non verentur. Cui calumnie hoc unico obviam eundem censemus: Cui convenit definitio, eidem & definitum. Pani, quem nos adhibemus, convenit definitio panis, quod nimirum ex farina cum aqua subacta pistione fiat. E.

XX.

In descriptione rei potulenta omnes Evangelistae cum Paulo voce Poculi utuntur; liquida enim non continent sed continentur, & peculum apprehendendum ei, qui potum capere vult. Non autem poculum potu vacuum Christus apprehendit, sed ex quo bibere Apostolos iussit. Potus autem in poculo Vinum fuit; testatur enim Lucas c. 22, 13. quod genimine Vitis Christus in mensa hac usus fuerit, hoc est, Vino naturali, ex uvis expresso.

XXI.

Magna ergo quorundam Haeticorum audacia fuit, qui vini usum omnino rejicientes, aquam in usu Synaxeos adhibendam esse tradiderunt, unde etiam Aquarij ab Ecclesia dicti fuerunt.

XXII.

Quibus haud meliores sunt semiaquarj Pontificij, qui vino aliquid aqua necessario admiscendum esse contendunt, & Armeniis, quod merum vinum in caena adhiberent, tanquam haeticis, Anathema olim dixerunt.

XXIII.

Mitiores videntur esse moderni Jesuitae, quando banc mixturam non simplici necessitate, quod vetustiores statuerunt, qui Aquam ad Sacramenti perfectionem requirebant, vide apud Gratianum de consecrat. Dist. 2. cap. 1. & 2. itemq; cap 7. & 83. sed necessitate congrua ad materiam Coena aquam pertinere asserunt. Bellarm. de sacra Eucharistia l. 4. c. 10. in fundamenta tamen ipso consentiunt.

24. At

XXIV.

At quod Institutioni repugnat, Unioni Sacramentali adverbatur & solâ traditione constat, quomodo necessarium esse potest. Hujus autem mixtura in Institutione nulla fit mentio, sed solum genimen vitis in usu mensæ Christi fuit; neq; etiam aqua & sanguis, sed vinum & sanguis uniuntur Sacramentaliter, quod verba consecrationis Pontificiorum evidenter evincunt. Accedit quòd mixturam Orientalibus usitatam fuisse probabiliter saltem dicatur, & antiquitatis factum, quod ex Cypriano adducitur, institutionem Christi mutare non possit. Imò constat Alexandrum Pontificem consuetudinem banc in Ecclesiam demum in-
vexisse, Patribusq; ignotam fuisse.

XXV.

Insuper factum Innocentij VIII. nullâ ratione probare possumus, qui teste Volaterrano alium liquorem pro Vino in Norvegia substitui permisit: Essentialia enim Sacramentorum nulli hominum nec Pontifici Romano mutare licet.

XXVI.

Nam Sacramenta instituere, ait Thomas in summa sua part. 3. art. 6. non est in potestate Ecclesie, sed est potestatis Excellentia, quæ soli debetur Christo. Qui autem instituere Sacramenta nequit, is nec mutare eadem potest: multò minùs planè tollere, quod sacrilegium quotidie à Pontificiis committitur, Usum Calicis seu Vini in Cæna Laicis & Clericis non conficiendis denegando.

XXVII.

Altera res Sacramenti Eucharistici, sive pars materia est Corpus & Sanguis Christi, quæ res cœlestis nuncupatur, quæ & ipsa nominatim in Institutione à Christo exprimitur, quando quid discipulis ad manducandum & bibendum exhibeat, his verbis exponit: Hoc est Corpus meum, Hic est sanguis meus Novi Testamenti.

XXVIII.

Hoc accipite in Pane, quod pependit in Cruce, & hoc accipite
in Ca-

in Calice, quod fufum eſt è Chriſti latere. Erit enim illi mors, non vita, qui mendacem putaverit Chriſtum. Auguſtinus in ſentent. Proſperi.

XXIX.

De Calvinianis hic locum habet illud vulgatum: quot capita, tot ſenſus; Lubricè enim ſuam ſententiam proponunt, & in varias ſe vertunt formas, ne deprehendantur, quòd corpus & ſanguinem è Cœna prorsus tollant.

XXX.

Cinglius olim ingenuè, quod credebat, confitebatur, nempe præter panem & Vinum in Cœna nihil quicquam adesse, & contrariam Lutheranam ſententiam ceu erroneam damnavit.

XXXI.

Calvinus & ejus discipuli callidiùs rem agunt, & inter materiam externam & internam diſtinguunt; illam Elementum, hanc rem ſignatam, vel rem ſignificatam & cœleſtem nominant.

XXXII.

Nos diſtinctionis illius errores omnes evolvere hac vice nolumus, hoc ſaltem notamus; Unum eſſe objectum Sacramentalis actionis, ac proinde unam etiam ſaltem materiam, qua licet ex variis partibus conſiet, ut una tamen & ex multis composita conſideratur.

XXXIII.

Partes autem hujus materie non inconcinne in Externam, quæ in oculos incurrit, & internam, quæ oculis non videtur, verè tamen adesse creditur, diſtribuuntur: Sed quia Calviniani poſterius hoc non credunt, verba ipſos dare, & fumos vendere ſtatuiſmus.

XXXIV.

Conſtat enim ex ipſorum explicatione, quòd Materiam rei cum ipſo fructu confundant, & materiam nominando, non materiam, ſed fructum intelligant: quia illam vocant materiam Internam, quam in Scholis ſignatum, & rem ſignificatam nominare ſolemus.

XXXV.

Ambiguae autem sunt haec voces. Signatum enim vel notat partem essentialem & materialem, vel fructum & usum. Priorem significationem Calviniani non retinent, quia signatum de Christo & ejus beneficijs exponunt. Ergo posteriorem amplectuntur, & male materiam internam vocant.

XXXVI.

Quando autem nostrates corpus Christi signatum vocant, non fructum, sed partem alteram Sacramenti intelligunt, quae non absens signatur, sed ut praesens, modo tamen Sacramentali & invisibili, ac propterea signo non tantum signante, sed etiam exhibente opus habet.

XXXVII.

Sicut ergo totum Sacramentum, re terrenam & caelesti constans, signum dicitur respectu fructus, qui signatum est; & pars Sacramenti Elementaris signum dicitur respectu alterius partis caelestis, alio atque alio modo: Ita pro diversitate notationis, etiam signandi ratio variat: Sic Panis est signum corporis Christi in sacra Coena: Et Panis & corpus Christi manducata sunt signum Spiritualis manducationis corporis Christi.

XXXVIII.

Ceterum quando ipsam materiam Internam evolvere & explicare adversarios jubemus, in unum convenire non possunt. Sunt enim Primò, qui fingunt corpus & sanguinem planè novum, significativum scilicet, Sacramentale & Symbolicum.

XXXIX.

Tigurini in libro contra Lutherum verba Christi sic exponunt: Hoc est corpus meum, id est, hoc est figura & sacrum signum ac Sacramentum mei corporis, vel: hoc est significativum & sacramentale corpus, significans corpus meum pro vobis esse traditum in mortem.

XL.

Aretius hunc in modum scribit: Panem esse corpus Christi, quam-

quamvis Christus corporaliter in Coena non aſſit : Eſſe enim ſymbolicum corpus.

XLI.

Etſi autem hanc gloſſam de ſymbolico non eſſentiali corpore Chriſti, pleriq; Calvinianorum, utpote aperte falſam & erroneam pro ſua non agnoſcere volunt, quod teſtatur etiam libellus ſub nomine querundam ſtudioſorum VVitebergenſium Anno 93. emiſſus : tamen verum manet, quod ex Tigurinorum verbis colligimus : Quicumq; Metonymiam Sacramentariam defendunt, quod Panis tantum ſit figura corporis Chriſti, illi etiã corpus ſignificativum revera fingunt. At qui hoc omnes veri Calviniani faciunt, Ergo etiam ſignificativum corpus fingunt.

XLII.

Deinde Calvinus & alij per vocem corporis non ḡoia ſed ἐνεργειαν, efficaciam corporis intelligunt, ut præſentiam ipſius ḡoia corporis, tanquam minimè à Chriſto promiſſam, facilius negare poſſint.

XLIII.

Sed contrarium ex verbis Institutionis manifeſtè colligitur. Nam 1. id voce corporis notatur, quod in mortem eſt traditum, id voce ſanguinis exprimitur, quod in ara crucis pro peccatis eſt effuſum. At qui non ἐνεργεια & efficacia, atq; accidens aliquod crucifixum & in mortem traditum, ſed ipſum eſſentiale & naturale corpus Chriſti, & ſanguis eſſentialis in ara Crucis effuſus eſt. Ergo.

XLIV.

Deinde. Quod propriè, grammatico intellige ſenſu, manducatur & bibitur, id ſubſtantiale, non accidentarium erit : Actio enim propria proprium requirit ſubjectum ; At corpus & ſanguis Chriſti in Coena propriè manducatur & bibitur. Ergo. Minorem licet adverſarij non concedant, quippe qui proprietatem vocis Grammaticam, cum proprietate modi phyſica ſemper confundunt, cum alibi probetur, ubi de actu Manducationis & bibitionis agitur, nos brevitatis gratiã multis probare nolumus.

XLV.

Tertiò. Is sanguis bibitur, qui Novi Testamenti proprius est: nam propterea Novi Testamenti sanguis dicitur, quòd in Veteri Testamento non fuerit (ubi tamen etiam fuit substantialis sanguis, hircorum & taurorum intellige, non Christi) Atqui efficacia sanguinis fusi non est Novi Testamenti propria, sed fidelibus in Veteri & Novo Testamento communis: nam per gratiam JESU CHRISTI credimus nos salvari quemadmodum & illi Actor. 15, 11. Ergò.

XLVI.

Quartò. Nullus indignorum particeps sit efficacia corporis & Sanguinis Christi. Atqui omnes Indigni coenam Domini accedentes participes fiunt, manducando scilicet & bibendo, corporis & Sanguinis Christi, hoc enim Paulus dicit, licet Calviniani Contradicant. Non quidem corpus Christi inefficax esse dicimus, aliud tamen esse, quando de substantia rei, aliud, quando de operatione illius loquimur statuimus. Ergò.

XLVII.

Tertiò, sunt alij, qui vocem corporis & Sanguinis per Synechdochen explicant, & de toto Christo interpretantur. Beza in Quæst. & Resp. p. 2. q. 209. Bucanus, Trelocatius, Polanus & alij: quod etiam necesse est, ut faciant, propter modum manducationis, quem fingunt fide fieri: fides enim totum non partem Christi apprehendit.

XLVIII.

Verùm & hæc sententia à verbis institutionis recedit, in quibus expressè & distinctè corporis & Sanguinis fit mentio; actus insuper Sacramentales confundit, Manducationem & Bibitionem, qui circa propria & distincta objecta, distinctè & diverso modo occupantur: à concomitantia etiam Pontificiorum non omninò immunis esse potest.

XLIX.

Fatemur quidem Personalem unionem esse indissolubilem nec à morte Corpus & Sanguinem amplius naturaliter separari posse:

posse: Verùm Sacramentaliter id non fieri quomodo probabunt?
imò contrarium nos ex unione Sacramentali, de qua jam acturi
sumus, ad oculum ostendemus.

SECUNDUM CAPUT.

L.

A Simplicibus progredimur ad composita, & ut
distinctè partes consideravimus; ita nunc conjunctim in
unione de eis agemus.

LI.

Unio ut definitionem generalem præmittamus, est duarum
aut plurium rerum conjunctio, qua mediante fit, ut aliquo
modo unum sint & dicantur.

LII.

Datur autem in quolibet Sacramento duplex unio; altera
partium essentialium Rei terrena & cœlestis: altera totius Sa-
cramenti & effectus sive usus: Hac generalis, quia omnibus Sacra-
mentis communis; Illa specialis ob diversitatem Sacramentorum
dici potest.

LIII.

Unio Sacramentalis generalis totius Sacramenti cum fructu
est, qua Sacramentum cum promissione gratiæ singulari divi-
nâ institutione ita copulatur, ut omnibus & singulis contenti-
bus eam offerat, fidelibus exhibeat & obsignet. Nam ex ordina-
tione divinâ Sacramenta omnibus offerunt gratiam in Evangelio
promissam, applicatio autem actualis & obsignatio non nisi fide
interveniente fit.

LIV.

Sed de hac Unione nos in præsentiarum non agimus, qui
de materia hujus Sacramenti Cœna tractationem instituimus;
itaq; ipsam specialem partium materialium Cœna unionem
indagabimus.

LV.

Unio ergò Sacramentalis in sacra Cœna in Verbis institutio-
nis talis

B 3

nis talis

nis talis nobis proponitur, quòd sit arctissima panis cum corpore,
vini cum sanguine, conjunctio realis & mystica, verbo Christi
omnipotente facta, ut sint unum Sacramentum & manducato pa-
ne, verè etiam manducetur corpus Christi, & hausto vino simul
bibatur sanguis ejus.

LVI.

In initio libenter agnoscimus, mysterium Sacramenti & modi
Unionis esse inexplicabile. Itaq; sacramentalem dicimus Unio-
nem, hoc est, nec naturalem, nec artificialem, nec essentialem,
nec accidentalem, nec personalem, nec merè spiritualementem,
sed Sacramento Cœna singularem esse, quæ sensibus & rationi
humana non pateat, nec extra hoc Sacramentum detur.

LVII.

Generis loco vox conjunctionis ponitur. Unio enim fit
ad unum, in quo unita communicant & conjunguntur. Quod
autem in hoc Sacramento Res terrena & cœlestis conjungan-
tur, exinde constat; quia de se invicem predicantur, idq; verè
& affirmatè. 2. Vera est inter illas *κοινωνία* tam activa
quàm passiva. 3. Unio hæc Sacramentalis symbolum
est Unionis Spiritualis, in unione ergò ipsa similitudo ali-
qua erit.

LVIII.

Error ergò crassus & insignis est Pontificiorum, qui ex
conjunctione faciunt transmutationem, ex Unione conversio-
nem, & ut barbarè loquuntur, Transsubstantiationem sta-
tuendo, per consecrationem Panis & Vini, conversionem fieri
totius substantiæ Panis in substantiam corporis Christi, & to-
tius substantiæ Vini in substantiam sanguinis ejus. Concil. Tri-
dent. sess. 13. c. 4.

LIX.

Verùm hoc tale dogma est, de quo Cardinalis Bellarminus
lib. 3. de Euch. c. 23. dubitat, utrum ex Scripturis clarè demon-
strari possit; Siquidem noviter introductum ab Innocentio III.
circa

circa annum Christi 1189. & in Lateranensi demum Concilio,
Anno 1215. confirmatum & promulgatum est.

LX.

Nos tanquam impium figmentum id repudiamus 1. quia cum
expresso Dei verbo pugnat, quod Panem & Vinum tum in ipsa
Cæna actione, tum post benedictionem expressè nominat, sub-
stantiamq; illorum manere docet 1. Corinth. 11. 26. & seq. 1. Co-
rinth. 10. 16. 2. Evertit naturam rerum 1. ipsius Sacramen-
ti, quod Re terrenâ & cœlesti, nulla solâ, absolvitur. 2. Ipsius
Unionis, qua nec cõversio nec annihilatio, sed duorum unio est.
3. Ipsius Panis, cujus substantiam tollit, & annihilari statuit.
4. Ipsorum accidentium, qua sine subjecto ponuntur; mox sub-
stantiarum naturam induunt, nutriunt vespentes, produciunt
vermes, resolvuntur in cineres, &c. 5. Ipsius Benedictionis di-
vina, quam in maledictionem convertit, illa enim conservat, non
destruit res, hac in nihilum redigit.

LXI.

Equidem Patres etiam Mutationis cujusdam, quæ in Sacra-
mento fiat, meminerunt; sed distinguere debebant Pontificij in-
ter Mutationem substantialem & accidentalem, de hac illi loquun-
tur, quando usus panis naturalis (non substantia) in mysticum
mutatur. Visibilia enim, ut rectè Theodoretus Dialog. 1. ait, signa
corporis & sanguinis appellatione honoravit non naturam mu-
tans, sed gratiam natura adjiciens.

LXII.

Efficiens Unionis Christus est, idq; mediante verbo Omni-
potente Institutionis: Sacramentum enim hoc, secundum Ambro-
sium de his, qui initiantur mysteriis c. 9. non hominis benedictio-
ne, sed Christi sermone conficitur. Et Chrysostomus ait: Hac vox,
hoc est Corpus meum semel quidem dicta in singulis mensis ex eo
tempore usq; in presentem diem & usq; ad Christi Adventum,
perfectam hostiam perficit.

LXIII.

Id quod rectè colligitur ex 1. Corinth. 11. 26. Ubi actio hac
sacra-

*Sacramentalis ejusdemq; finis duratio non actione prima Cœna
finitur, sed duratura dicitur, donec ipse veniat.*

LXIV.

*Et quia per verbum Institutionis sanctificatio & Unio
illa fit, certè non omittenda sunt in ipsa actione, sed publicè re-
citanda; Vult enim Apostolus 1. Cor. 10. 16. ut in quolibet actu
Cœnae tale poculum bibendum prabeatur, Cui Nos benedicimus:
Illa autem benedictio fit à ministro Ecclesie per recitationem ver-
borum Institutionis, cui non vis magica inest, sed vis ac Virtus
Primæ Benedictionis à Christo ipso facta.*

LXV.

*In defectu ergò hic peccant Calviniani, qui ab hac Unione
planè excludunt ministros verbi, & circa sola signa externa eos
occupari tradunt: In Excessu verò Pontificij, qui tantam vim
sacrificulis suis tribuunt, quòd recitatione verborum Sacra-
mentum conficere, Christum de Cælo adducere, Panem in Cor-
pus, Vinum in sanguinem convertere, conversione adductiva;
ut Bellarmini glossa habet, possint.*

LXVI.

*Illi enim Instrumentalem, principali Efficienti vitiosè
opponunt, cum potius conjungere debebant: Efficiens enim, et si
principaliter agit, si tamen non immediatè, sed per instrumenta
agit, utramq; causam in producendo effectu concurrere necesse
est, Unde Paulus Ecclesie ascripsit benedictionem, 1. Cor. 10. 16.*

LXVII.

*Hic verò divinam vim, ut ipsi putant, imò potius magicam
& blasphemam ministris ascribunt: Sic enim mysterium hoc
explicat. Biel. sect. 4. in Missam. Confectio corporis Christi, in
Sacramento fit aliqua occulta virtute, non insistente ei à quo fit,
sed assistente: secundum quem modum malefici & in cantatri-
ces quosdam effectus producere dicuntur & extrahere lac vac-
carum de sedibus vel manubriis securium: quod non fit naturali
virtute maleficorum, neq; ex eorum merito, sed virtute occultà
sive malà sive bonà assistente.*

68. Ma-

LXVIII.

Materiam Unionis dicimus esse Rem terrenam & coelestem, hoc est, Panem & Vinum, corpus & Sanguinem Christi, ita tamen ut secundum verba institutionis, qua fundamentum sunt totius negotij, Unio sit non inter Panem & Sanguinem, sed distinctè inter Panem & Corpus, & inter Vinum & Sanguinem Christi.

LXIX.

Christus enim de Pane non dicit, hoc est Corpus & Sanguis, aut, hoc est Christus, sed hoc est corpus meum: Et de Vino, Hoc est Sanguis meus: quod ergò de Pane in verbis Institutionis, similiter & de Vino non enunciatur, id ei unitum esse non creditur.

LXX.

Iterum ergò Calvinianos, qui loco corporis totum Christum, cum omnibus suis beneficijs substituunt & Pontificios, qui Concomitantiam fingunt, quâ fiat, ut sub utraq; specie unum idemq; sit, erroris arguimus.

LXXI.

Et Unico hoc jugulamus fundamento: id sub Pane Sacramentaliter est, quod Christus sub eo manducandum precepit. At sub Pane tantùm corpus manducandum ordinavit. E. Id quod Paulus etiam docet, qui 1. Cor. 10. 16. Panem fractum non viniæ Corporis, non Sanguinis esse dicit.

LXXII.

Forma insuper Cœna confunditur, Manducatio & Bibitio; Dum Corpus & sanguis & totus Christus manducatur, idem corpus etiam bibitur, Atq; bis sumitur in una Sacramentali actione, contra expressam Christi ordinationem.

LXXIII.

Non est quod metuant cadaver quoddam à nobis proponi, corpus, quod Sanguine careat, & separationem naturalem corporis à sanguine hinc sequi.

LXXIV.

Ut enim triplex est Unio; Personalis inter λόγον & humanam Naturam: Naturalis inter corpus & animam; sacramentalis inter Panem & corpus, Vinum & sanguinem; Ita triplex etiam separatio, Personalis, quæ ut fiat, impossibile est, Naturalis, quæ in morte facta est, & Sacramentalis, quæ sub Pane nec Sanguinem, nec animam, nec Deitatem manducamus, quia ei non sunt Sacramentaliter unita. Manent ergo corpus sanguis, anima, Deitas inter se unita in actione cœna, sed separamus à Pane cetera omnia, Corpore excepto, quia Christus solum corpus panis in Cœna unitum esse voluit, quæ etiam actione facta vicissim separantur & dissolvuntur.

LXXV.

Sed et illud absurdissimè à Pontificiis statuitur; Panem transsubstantiari, & Accidentia sola remanere, quibus cum uniatum corpus Christi: Nam sicuti transsubstantiatio absurdum figmentum est: Ita non minus absq; Scriptura & ratione accidentia Materia Unionis hujus dicuntur, quod ex prioribus manifestum esse potest.

LXXVI.

Forma sive modus Unionis est Sacramentalis, hoc est mysticus & arcanus, non tamen imaginarius, sed verus & realis, quo Panis & Corpus, Vinum & sanguis unum fiunt, & Pani adest corpus, Vino adest sanguis, invisibiliter, verè tamen & realiter.

LXXVII.

Modus ergo Unionis manet inexplicabilis, eò, quòd ad nullum sive naturalis sive artificialis Unionis modum referri possit: Mystrium enim hîc est tremendum, secundum Chrysostomum Homil. 83. in Matth. Verbis Domini non expositum, sed simplici fide Christianâ credendum: Itaq; rectius quis non sit, quàm quis sit modus ille explicari potest.

LXXVIII.

Est enim modus hic Unionis non conversio unius in aliud, qui Pontificis placet. Res enim in usu Sacramenti, quoad essentiam, distincta manent, neque invicem consubstantiantur, aut transubstantiantur; nam Unio hic locum habet, quae est duarum rerum unitio, non verò unius abolitio.

LXXIX.

Neque etiam est localis & crassa unius in altero delitescencia & inclusio: quem modum Calviniani nobis temerario plane ausu affingunt, qui probe sciunt, non naturalem sed sacramentalem nos defendere modum, qui captu humanae mentis comprehendi nequeat. Quis autem tam stolidus est, qui modum, quo vinum in vase est, naturalem esse ignoret? quare in hoc mysterio locus ei non concedetur.

LXXX.

Utimur quidem particulis In, cum, sub, quin etiam propositionem Christi, Hoc est corpus meum, explicamus per similes, ut si quis monstrato vase dicit: Hoc est Vinum; vel monstrato loculo, Hoc est pecunia; sed eundem esse modum Unionis nemo nostrum asseruit.

LXXXI.

Quin potius τὸ πρῶτον verborum Coena iis asserimus, & Panem ac Vinum media esse divinitus ordinata, ad veram corporis & sanguinis Christi κοινωνίαν ostendimus.

LXXXII.

Simul excludimus Pontificia transubstantiationis figmentum & Calviniana ἀπρῶτος deliramentum, & orthodoxos Patres imitamur, qui citra σιωπῶτος suspicionem ita locuti sunt.

LXXXIII.

Augustinus in sermon. ad Neophyt. Hoc accipite in Pane, quod pependit in Cruce; Chrysostomus lib. 3. de sacerdot. Cum illis rebus, quae videntur, simul adesse creditur Corpus & sanguis Christi

Christi. Bernhardus in serm. de *Cœna*: Quod videmus species est, Panis & Vini, quod sub illa specie credimus, verum corpus & verus est sanguis Christi, quod pependit in cruce, & fluxit è latere;

LXXXIV.

Sed neq; etiam Calvinianus Unionis modus approbari potest, quem in Analogia, significatione & representatione ponunt. Nam in similitudine non omnis Sacramenti natura consistit, aliàs in Institutione Christi inveniretur, quod Calviniani negare non possunt.

LXXXV.

Imò eo ipso fatentur, quando Analogiam illam explicant, quòd sit similitudo signi & signati, conjuncta cum exhibitione in usu legitimo, quod modus Unionis non sit tantum significativus. Exhibere enim non est relatio signi ad signatum, sed uniti exhibiti ad exhibitum, extrinsecus signo & signato accidens.

LXXXVI.

Hanc Analogiam, qua in exhibendo consistit in Novi Test. Sacramentis inveniri, Institutio Cœna ejusdemq; actio ostendit: Reliquas Analogias & similitudines, qua ex communi natura & officio rei terrena extra actionem sacramentalem desumuntur, ita admittimus, ut sacramentales eas propriè dici posse negemus, partim quia in Institutione Sacramenti nulla earum fit mentio, partim quia Paulus testatur, quòd in illis similitudinibus officium Elementorum sacramentale nullo modo exprimitur, 1. Cor. 11. 34.

LXXXVII.

Quis ergò tandem modus erit Unionis? Mysticus est & inexplicabilis. Sacramentum enim hic tractatur, quod est mysterium; neq; explicari potest, quomodo Panis Corpori & non sanguini, item quomodo idem Corpus numero, diversis & infinitis ferè numero panibus tot in locis in S. Cœna celebratur, uniatur;

Est

Est hoc divinum mysterium & cibus mysticus, secundum Basili-
um & Theophylactum.

LXXXVIII.

Fateri hoc ipsum coguntur adversarij; sic Bucanus loc. 48.
q. 45. in Institut. dicit: Panem esse corpus Christi secundum esse
mysticum. Et loco 66. q. 12. Unionem sacramentalem dicit esse
mysticam. Si verò mystica est, Relativa unio esse nequit, quæ
naturalis & explicatu facilis.

LXXXIX.

Quod autem mysticum est, non figuratum protinus est, sed
reale. Ita enim Uniuntur duæ substantiæ, Panis & Corpus,
Vinum & Sanguis, & quidem in Cœna, quæ in his terris cele-
bratur, ut corpus Christi de Pane, & sanguis de vino possit
prædicari; & uno manducato, alterum simul manducetur, uno
hausto alterum quoque bibatur.

XC.

Res ergo ipsa uniuntur & quidem verè & realiter, non ta-
men physicè & naturaliter coniunguntur: Ita columba, quam
vidit Johannes, realiter unita fuit spiritui sancto Joban. 1. 32.
quia Johannes visa columbâ vidit spiritum sanctum, descenden-
te columbâ descendit Spiritus sanctus; & tamen omnis Physi-
ca ratio hic expirat.

XC I.

Quis verò finis sit mystica hujus Unionis, Paulus clarissimè
exponit, dicens: Panis fractus est *κοινωνία* corporis Christi. In-
servire scilicet debet actioni sacramentali, ut manducato pane
benedictò, manducetur corpus Christi, & hausto vino, simul
bauriatur sanguis Christi; Hoc enim etiam volunt Christi
verba: Edite, hoc est corpus meum; Bibite, hoc est sanguis
meus.

XC II.

Impingunt ergo & hic tum Calviniani, qui duplicem man-
dicationem faciunt, unam panis, alteram corporis, cum unam
saltem Christus instituerit & propterea bas res univerit, ut

manducato panē, manducetur corpus Christi: tūm Pontificū, qui extra usum sive actionem sacramentalem Unionem aliquam durabilem fingunt, ex quo errore Adoratio panis, in sacrario inclusio, circumgestatio, & alia prophanationes originem traxerunt, cum tamen extra usum, ut nihil habet rationem Sacramenti, ita nulla unio sacramentalis esse potest aut debet.

CAPUT TERTIUM,

XCH.

EX Unione hac Sacramentali oriuntur predicationes sacramentales, quae etiam ex illa rectissime dīdīcari possunt & debent.

XCIV.

Non autem unius generis sunt haec propositiones, sed aliae sunt Scripturae, aliae Ecclesiae, sive orthodoxorum Theologorum.

XCV.

Propositiones, quae in Scriptura habentur, sunt non tantum illae in quibus verè & propriis verbis res Sacramentorum de se invicem sive absolute sive determinate predicantur, ut propositiones Christi: Hoc est Corpus meum, Hoc est sanguis meus, Et Pauli: Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi, &c. Sed etiam in quibus quod est proprium unius, tribuitur alteri ob unionem sacramentalem; ita poculum dicitur effundi in remissionem peccatorum, quod sanguinis Christi proprium est Luc. 22. 20.

XCVI.

Similem in modum Propositiones Orthodoxis usitatas subdividimus: vel enim de re Sacramenti agunt: ut, Panis est corpus Christi, Vinum est sanguis Christi: Vel propria de rebus sacramenti enunciantur, ut: Corpus Christi in Coena est visibile, palpabile, &c.

XCVII.

Nos de primo propositionum genere, in quores Sacramentorum

rum

rum de se invicem enunciatur, potissimum agimus, & quales illa sint, inquirimus.

XCVIII.

Atq; hic quatuor discrepantes se offerunt sententia: alij dicunt esse Identificam prædicationem, alij Tropicam sive impropriam Rhetoricam; alij impropriam, sive irregularem Logicam; alij verò singularem & inusitatam.

CIX.

Pontificij Identificam defendunt propositionē, dum statuunt has Propositiones: Hoc est corpus meum, & Panis est Corpus meum, planè easdem esse, & quia Panis jam sit transsubstantiatus in corpus, particulam demonstrativam corpus, non panem notare, unde tandem emergit hac propositio: Hoc Corpus est Corpus meum.

C.

Verum multum laborat hac sententia. 1. Negamus propositionem Christi & Ecclesie unam eandemq; esse, quia non idem subjectum utrobique est: Particula enim, Hoc, non panem duntaxat, sed etiam corpus, adeoq; totum complexum, quatenus unitum, designat; aliud autem est, quando pars de toto, aliud, quando pars de parte enunciatur.

CI.

Quod autem totum complexum intelligatur, id ipsa demonstrativa particula demonstrat, & predicatum probat, quod de subjecto cum dicatur, ei etiam inesse intelligitur. Ratio etiam ipsa suadet, ut per pronomen, Hoc, tanquam δευτερον, totum id, quod accipitur & manducatur ac bibitur demonstretur, quod quia compositum est, res qua demonstratione cum primis opus habuit, in predicato distinctè explicatur.

CII.

2. Transsubstantiatio figmentum Pontificium est, & Panis manet panis. tam in, quam extra usum cœna, quapropter subjectio etiam includetur.

3. Sibi-

CIII.

3. Sibiipsis contradicunt Pontificij, quando statuunt, Accidentia Panis & Vini remanere, & corpori Christi uniri; De eo autem corpus Christi predicatur sacramentaliter, cum quo sacramentaliter unitum est. Si autem accidentibus est unitum, & de iis predicatur, propositio Identica non erit.

CIV.

4. Carolo stadij delirium approbare videntur, qui Christum vocula, Hoc, suum corpus demonstrasse absurde deliravit: Nam si per particulam, Hoc, nihil aliud quam corpus Christi intelligitur, & particula Hoc demonstrativa est, sequitur aut Christum intendisse digitum ad suum corpus, quo assidebat discipulis visibiliter, aut nihil demonstrasse, utrumque absurdum est?

CV.

Tandem his praesuppositis colligimus: Panis à corpore Christi realiter differt. Atqui particulam, Hoc, etiam Panis denotatur. E. & particula Hoc à corpore Christi, cujus in predicato mentio fit, realiter differt. Si autem subjectum & predicatum realiter differunt, praedicatio Identica hic locum non habebit.

CVI.

Calviniani in discrepantes abeunt sententias, & improprietatem aliquam in propositionibus his inveniri dicunt, utrum autem Rhetorica an Logica sit dicenda, multis inter seipso digladiantur.

CVII.

Fundamentum autem, quo hypothesis illorum nititur, nullum aliud est, quam hoc: Verba Coena secundum ῥητόν & literam, uti simpliciter sonant, non esse accipienda.

CVIII.

Sed nos thesin hanc breviter ita impugnamus: τὸ ῥητόν verborum Coena 1. in nullum articulum fidei aut evidens scriptura dictum

dictum impingit, quare ab eo non est recedendum. 2. Sunt haec verba Testamenti, ubi proprietati cum primis studetur, nec in alium, quam praese ferunt, sensum detorquere licet. 3. Consentunt in ejus descriptione omnes Evangelistae cum Paulo, & improprias explicationes excludunt potius, quam admittunt. 4. Pauli explicatio 1. Cor. 10. 16. idem confirmat, qui panem *νομινα*, non figuram aut umbram corporis, vocavit. 5. In ceteris Sacramentis substantialia etiam sine tropo, rem verius evertente quam illustrante, enunciantur. 6. Accedit suffragium orthodoxae antiquitatis cujus aliqua vestigia capite primo deprehenduntur.

CIX.

Stante ergo *ταπεινω* verborum Coenae Improperitas Calviniana expirat, qua paucis adhuc examinanda est.

CX.

Qui Improperitatem Rhetoricam hic fingunt, duorum quasi generum sunt: Alij in vocibus, alij in tota predicatione tropum latere asserunt.

CXI.

Qui in vocibus tropum quaerunt, nec illi consentiunt; alij enim copulam, Est, pro significat positam esse asserunt, aliis predicatum, Corpus, signum corporis, per Metonymiam sacramentalem denotare videtur.

CXII.

Hos operose refutare necesse non est, cum seipsos mutuò conficiant. Keckermannus lib. 3. system. Theol. c. 8. p. 444. multis probat, tropum in copula fundari non posse, & consentiunt hic omnes Rhetorici. Beza in Quæst. & Respons. part. 2. q. 209. tropum omnem à predicato excludit, & verum corpus propter *ωεγοδιοςμου* adjectum, Quod pro vobis datur, intelligendum esse, rectè affirmat. Goclenius etiam hodiè pollicetur, se cum nemine amplius de Tropo in verbis Coenae disputaturum, cum descriptio predicato addita evincat, verba Christi propriè esse accipiendā.

D

cipienda.

cipienda. Ex his nos concludimus, Prædicationem Sacramentalem non esse Tropicam.

CXIII.

Alterum agmen Calvinianorum, quod in tota prædicatione tropum ponit, multis sese implicat absurditatibus.

CXIV.

Nam 1. Tropus in voce est, non tota prædicatione, hæc non sunt confundenda: 2. artium principia non sunt miscenda: Tropi ad Rhetoricam pertinent, prædicatione ad Logicam; Prædicatione ergo, quæ iudicio Logici subicitur, à tropologia illa Rhetorica immunis est. 3. Seipsum involvunt Calviniani, nam in explicatione tropum in prædicato ponunt, quæ re non in tota prædicatione, sed in prædicato illum querunt. 4. Repugnat natura Sacramentorum N. T. ubi non Tropos, umbras & figuras, sed corpus ipsum habemus.

CXV.

Quia ergo Tropologici Calviniani, pedem ubi tuto figere possint, non inveniunt, socij subsidium ipsis latenti novum inveniunt fulcrum, dicentes: Propositionem Christi esse irregularem Logicam, analogicam, relativam extrinsecam, quæ à regula quidem Logica recedat, nec tropica tamen sit, nec inusitata, sed verè Logica.

CXVI.

Et si autem Logicis disceptandum relinquimus, utrum modum hunc prædicandi admittere velint: Nos tamen in Sacramentalibus propositionibus illum inveniri negamus.

CXVII.

Nam 1. fundamentum irregularitatis expirat, quod Calvinianis est relatio signi ad signatum, neque enim in ea consistit unio Sacramentalis, ex qua prædicatione oritur. 2. Exempla ipsa propositionum S. Cæna contrarium monstrant, in quibus singulare quid deprehenditur, sed nihil improprij; vel enim pars de toto, vel officium Sacramentale de pane prædicatur, quod improprium Logicum nemo dicet.

CXVIII.

Remotis falsis predicationum modis restat postremus & ultimus, quem singularem & inusitatum vocamus, & merito approbamus. Cum enim de speciali affectione terminorum agamus, inusitatas illas nominando, à vero aberrare non possumus.

CXIX.


Itaq; qualis est Unio, talis etiam est predicatio; Atqui Unio est mystica & inusitata. E. & predicatio. Insuper, Ubi non est usitata affectio terminorum, ibi nec usitata est predicatio. Sed in predicationibus sacra Cœna non est usitata terminorum affectio, quia Unio affectionis causa proxima inusitata est. E. nec usitata est predicatio.


CXX.


Proinde concludimus, quia mysterium hîc tremendum, secundum Chrysostomum, proponitur, fide potius, quàm ratione esse tractandum, ne digitis ignitum tractantes ferrum ledamur, & à veritate excidamus, in qua nos D E U S
ut conservet, unicè rogamus,

A M E N.









OA A 6612

ULB Halle


3

002 937 107




R
WMA





11.



Affertiones Theologicae,
DE RE SACRA-
MENTI EVCHARISTI-
CI TERRENA ET
COELESTI,




Quas
Christo autore ducente & docente,
In illustri Lipsensi Academia ex-
cutiendas proponit,

POLYCARPUS LYSERUS
SS. THEOL. D. & PP.

Ad 19. Augusti, horis ante & pomeridianis.

✻) * (✻

L I P S I Æ,
T Y P I S L A M B E R G I A N I S,
Excudebat Johann Glück.



ANNO
M. DC. XIV.